

# EXCLUSION DEL «BONUM SACRAMENTI»

Sacra Romana Rota

CORAM

*Vincentio Fagiolo*  
PONENTE

Bisuntina

Nullitatis  
Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

(OMISSIS)

## SPECIES FACTI

1) Causa promota fuit a Petro per libellum exhibitum a. 1959 Tribunali ecclesiastico Bisuntino, ad normam can. 93, ut matrimonium, ab eodem contracto a. 1956 cum d.na Magdalena in ecclesia paroeciali S. Florentii, in civitate A., nullum declararetur ob exclusionem boni sacramenti ex parte eiusdem viri. Contendit hic se coniugium cum d.na Magdalena noluisse celebrare, quia inter ipsum et sponsam adfuerant plures disputationes; et ad nuptias celebrandas accessisse sive ob amores, quos mulierem habendi nutriebat, sive ob eiusdem mulieris firmum propositum et instantissimas preces ut matrimonium contraheretur.

Cognita enim puella mense octobris 1951, vir primo vere subsequentis anni eam, venustate praecellentem, adamare incepit et usque ad initium anni 1952 fere quotidie frequentavit; at ineunte hoc anno inter ipsos dissidia et altercationes ortae sunt, quae numquam desierunt, nonobstante sponsalium celebrationem quam peregerunt mense aprilii 1956. Condiciones sociales atque ingenia et indoles dissimiles causae exstabant inter sponsos altercationum et dissentionum. Vir insuper matrimonii celebrationem saltem procrastinare malebat ob sevientem algerinum bellum, quod et ipse agebat. Sed neque dilationem celebrationis nuptiarum vir obtinere valuit a muliere, proindeque ad aras accessit animo fere invito. Matrimonium tamen, contendit vir, haud rite contra-

ctum ab ipso fuisse, quia non plene consenserit sed cum animo divertium petendi si res postea male cessissent. Quod de facto accidit. Vita enim communis infelix statim evasit et post breve tempus divertio facit et iuris definitive interrupta est.

2) Cognita inde possibilitate habendi ab Ecclesia declarationem nullitatis sui matrimonii, vir uti diximus hanc petiit a Tribunalis Bisuntino, ratione domicilli quod et sua uxor, vi canonis 93, habebat, ob excusum a seipso bonum sacramenti.

Processu intervenit quoque Promotor Institiae, cum probabiliter actor exteterit inhabilis ad accusandum utpote pars dolosa et culpabilis assertae nullitatis.

Processu rite confecto, die 31 januarii 1963 prodiit sententia, qua nullitas matrimonii declarata fuit. Contra hanc sententiam appellavit ad Tribunal superius, nempe Nanceien., Defensor vinculi pro suo munere.

In secundo gradu iurisdictionis conventa adhuc contumax remanit; at eiusdem citatio haud rite peracta est, cum quaedam omissa fuissent; sicuti omissa fuerant quaedam praescripta quoad citationem viri et interventum Promotoris Iustitiae.

At, die 3 decembris 1964 sententiam item tulit Tribunal, proferens contra actorem iudicium. Hic autem non acquievit et appellationem interposuit per sumum Procuratorem apud N.S.O., querens simul ut nulla declararetur sententia secundi gradus iurisdictionis ob defectum citationis sulipsius et conventae.

Noster S. O. Promotor Institiae nullitatis querelae iam propositam instantiam sustinuit, interveniens in causa die 15 martii 1966, postquam obtinuerat (die 27 februarii 1966) prosecutionem appellationis a Promotore Iustitiae Tribunalis Nanceiensis, qui in altero iurisdictionis gradu omnino absens fuerant. Sed hic Promotor Iustitiae appellationem prosecutus est tantum quoad meritum causae, non autem quoad querelam nullitatis ob omissas citationes.

His omnibus perpensis, die 8 octobris 1966 in N.S.O. dubia concordabantur, rite citatis partibus, Promotore Iustitiae et vinculi Defensore, his formulis:

**«(1) An constet de nullitate sententiae secundae instantiae, latea a Tribunalis Nanceensi die 3 decembris 1964;**

**«(2) An constet de nullitate matrimonii, in casu».**

3) Exhibitis die 24 octobris 1967 Restrictu iuris et facti a Patrone actoris, ex officio constituto, et voto Defensoris vinculi deputati die 29 februarii 1968, necnon Restrictu responsionis patroni ex officio, die 16 maii 1968, Turnus ad definendam causam, iam pro die 31 maii 1968 constitutus, differebatur sine die a memetipso Ponente, quia die 16 maii 1968 ac-

toris Patronus institerat «ad cautelam, pro restituione in integrum adversus sententiam latam a Tribunalis Nanceensi die 3 decembris 1964».

Super huiusmodi instantia auditus prius fuit Defensor vinculi principalis, qui suo voto, die 24 maii 1968 exhibito, animadvertere censuit: a) actorem nullam movere potuisse nullitatis querelam sed conventam tantum hanc habere facultatem; b) sententiam prioris et alterius iurisdictionis gradus debere notificari conventae, saltem per insertionem partis dispositivae in dioecesanis ephemeridibus, ut termini ad movendam quaestitionem nullitatis sententiae secundae instantiae computarentur a predicta publicatione; c) negandam esse restitucionem in integrum, cum nullo omnino modo constet de evidenti iniustitia rei iudicatae.

Promotor iustitiae autem, perpenso etiam relato Defensoris vinculi voto, die 3 iulii 1968, respondit, inter alia, supervacaneum esse notificare sententiam alterius gradus mulieri conventae; esse inutilem recursum ad restitucionem in integrum, cum adsit in casu remedium querelae nullitatis.

His omnibus cognitis, Patronus actoris declaravit die 30 iulii 1968: «se nihil amplius habere addendum iis quae iam scripsit et nihil obstare, sua ex parte, quominus procedatur ad ulteriora usque ad sententiam definitivam». Quam hodie, per Decretum Ponentis, tulendam esse statutum fuit, respondendo prius dubio an constet de querela nullitatis sententiae alterius gradus iurisdictionis et an concedenda sit restitutio in integrum, a Patrone actoris petita.

## IN IURE

4) Incipientes a quaestione de restituzione in integrum haec Patres censuerunt iuris principia esse recolenda.

Iuxta can. 1905 § 1 restitutio in integrum est remedium extraordinarium ideoque datur adversus sententiam contra quam non suppetat remedium ordinarium appellationis aut querelae nullitatis. Haec est prima et essentialis nota huius instituti. Supponit igitur vel amplius non esse locum appellationi, quia res habetur iudicata, vel agi non posse de sententiae nullitate et hinc de querela; ideoque dicitur extraordinarium remedium iuris et intelligitur eius locus in Codice: in titulo XV ubi de re iudicata agitur et post titulum XIV, qui de iuris remediis contra sententiam tractat (nempe: de appellatione; de querela nullitatis contra sententiam; de oppositione tertii). Ceterum ipse ambitus, ad quem Codex coarctavit Institutum huiusmodi confirmat ipsum esse solummodo ex-

traordinarium remedium: in cann. 1905 seq. res est enim de restitutione prouti est remedium extraordi- narium iudiciale tantum; quod non habebatur —e contra— in iure romano, ubi etiam remedium appella- tionis ex aequitate concessae, quoties haec iure non competebat (11. 17, 36 Dig. IV, 4), sumebatur; neque in iure decretalium erat tantum remedium extraordi- narium iudiciale, uti in Decretalibus Gregorii IX, ubi saepius accipitur etiam tamquam appellatio (cc. 1, 3, 6, X, I, XLI).

Haec sufficient pro casu nostro adnotare, quin de- scendamus ad alia requisita quae Codex exigit ut concedatur restitutio in integrum (can. 1905; 1906; 1907): quum enim non admittitur certa actio quia datur tantummodo loco alii vel aliis actionibus, superfluum est disceptari de requisitis quae Codex praescribit ut illa accipiatur. Ideo nihil de iniustitia rei iudicatae dicitur, sicuti fecerunt cl. mus Patronus partis atricis et Rev. mus Defensor vinculi; sufficiet enim ad solvendam quaestionem quae superius animadvertisimus circa qualitatem propriam et essentialiem huiusmodi instituti. Quod pressius in facto casui principia iuris applicando, determinabitur.

5) De ea nullitate sententiae, quae vitio sanibili laborat, tantum disceptatur in casu. Quidem vero, cum omissa fuerit legitima citatio actoris et conven- tae, ideoque iuxta praescriptum canonis 1894, n. 1º promota est querela nullitatis. Ad rem haec notare iuvat. Imprimis, vitium nullitatis, quod ab inobser- vantia provenit iuris privati partium, sanatur quoties de facto partes ipsae renuntiant suo iuri (canonibus 1628, 1629, 1682 v. g. comprobatur renunciari posse nullitatis exceptioni cum agitur de bono iure priva- to); quod vero provenit ex violatione iuris publici, aut privati quidem, cui tamen partes nequeunt renun- tiare, insanabile vitium dicitur ac habetur. Partes iuri suo renuntiare possunt etiam acquiescentia, quae ex praescripto can. 1895 implicita habetur, si, trans- acto tempore statuto, id est post tres menses a publicatione sententiae, querela proposita non fuerint; proindeque sententia ex se ipsa convalidatur, cum inde definitive cesseret et extincta habeatur actio nullitatis adversum eam. Huiusmodi sanatio, quae a iure afficitur, unam tantummodo requirit condicionem, scilicet quod sententia legitimate publicata sit, ad normam nempe can. 1877.

Ideo si legitima in iudicio citatio defuerit (can. 1894, n. 1º) at pars nullitatis sententiae, ei rite notifi- catae, querelam non proposuerit vel una cum appella- tione intra decennium vel seorsim et unice qua- querela intra tres menses a die publicationis senten- tiae coram iudice qui sententiam tulit, vitium nulli- tatis ob omssam citationem sanabitur ex ipso praes-

cripto iuris (can. 1895) Sed non est hic unus sana- tionis modus. Omissioni legitimae citationis potest enim aliter subveniri, quin sententia vitio nullitatis sit inde affecta. Quod clare patet si naturam et fines citationi proprios inspiciemus. Citatio partium, in causa, (can. 1712 § 2, 3) quam solam ius praescribit sub poena nullitatis sententiae si omissi fuerit (can. 1894, n. 1º), non est nisi medium formale ut eaedem partes coram iudice se sistant, atque res controver- siae determinetur quae inde sententia tribunalis definiatur (cfr. cann. 1711 § 1; 1712 §§ 2, 3; 1726; 1868, § 1).

Essentialis igitur citationis effectus in eo est ut actor, qui per libellum ministerium iudicis postulavit, et reus, quem actor in ius convenire voluit, rite valeant iura, quae unusquisque sibi propria esse putet, conse- qui vel defendere. Citationis ratio igitur nititur naturali iure quod postulat ne quis damnetur nisi prius auditus fuerit seseque defendere potuerit. Quodsi de facto comparuerit et auditus fuerit, etsi non citatus, eius spontanea comparatio in iudicio sa- nat citationis defectum tum substantiale, cum as- secutus fuerit finis essentialis, quem ipsa naturalis ratio postulare dicitur, tum formale, uti determinat canon 1711 § 2, qui iubet ut actuarius significet in actis partem sponte sua iudicio adfuisse; quod eidem parti aufert facultatem inde proponendi querelam nullitatis ob citationis defectum, cum hic iam sana- tus habeatur.

Unde patet quod si una et alia desint —citatio sci- licet peracta iuxta can. 1715 vel spontanea compari- tio quae facta sit cum animo interveniendi in iudi- cilio seu ad causam agendum (cfr. cann. 1711 § 2, 1726)— tum substantialis tum formalis habetur de- fectus citationis, cuius effectus erit nullitas senten- tiae (can. 1894, n. 1), quam queri interponereque possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor justitiae aut defensor vinculi, quoties iudicio interfuerunt (can. 1897). Quod intra terminos a canone 1895 statutos tantummodo fieri potest, se- cucus nullitas a iure sanatur. Intra eosdem terminos ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare et emendare (can. 1897 § 2).

Quae retulimus principia nonadmodum in gradu priori iudicii sunt observanda sed in altero et deinceps. In gradu appellationis fit novum iudicium novaque da- tur sententia ideoque nova facienda est litis contestatio: unde partes sunt citandae, secus nulla est sen- tentia nisi sanetur, uti supra explicatum, est. Huius- modi argumentum innititur naturali ratione et corro- boratur explicite a lege. Haec enim non distinguit in- ter primam et ceteras instantias; et Instructio S. Congregationis de disciplina Sacramentorum diel 15

augusti 1936, explicans canonem 1595, iubet non esse distinguendum: «In gradu appellationis eodem modo et ratione ac in prima instantia tribunal constituantur, eodemque modo et ratione procedatur, non omissis citationibus et dubii concordatione» (art. 213). Numquam distinctionem fecit S. N. T., prout ex eiusdem constanti et incontroverta praxi eruit eiusdemque Normae explicite confirmant (artt. 163, 164, 165 sqq.). «Neque dici potest —animadvertisit S. N. O. in una coram Juliani diei 8 februarii 1936— deficiente matrimonialibus suppleri per intercessionem defensoris vinculi. Defensor enim vinculi non repraesentat unam ex partibus, id est partem conventam, sed est magistratus seu una ex personis tribunal constituentibus, quoties agitur de vinculo matrimoniali, scilicet in causis nullitatis matrimonii vel dispensationis super rato. Non potest agere nomine partis conventae, quippe quae et ipsa saepe impugnat vinculum matrimonii vel decursu iudicii in diversis instantiis mentem suam mutat. Lex ei nullum tribuit mandatum nomine partis conventae agendi, et si nihilominus nomine huius egerit, sententia vitio insanabili nullitatis laborat (can. 1892, 3°)».

6) De exclusione boni sacramenti principia iuris. Primo et principaliter in casu meminisse iuvabit perpetuitatem vinculi causam esse formalem seu intrinsecam constituere rationem coniugii. Etenim: «indissolubilitas pertinet ad matrimonium secundum se; ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt» (S. Thomas, *In IV Sent.*, D. 31, q. 1, art. 30). Quod eadem claritate affirmit et explicat S. Bonaventura, dicens: «Tertio quaeritur de necessitate trium bonorum, utrum scilicet sint de necessitate sacramenti. Et quod bonum Sacramenti sit de necessitate... cum sint tria bona matrimonii, scilicet fides, proles et sacramentum, unum scilicet Sacramentum est de necessitate matrimonii. Sacramentum enim venit ex mutua obligatione et divina institutione et significacione illius unionis; et ideo, quia ista sunt de necessitate matrimonii, per consequens et sacramentum... Item ratione videtur: bonum Sacramenti est rationale inseparabilitatis; sed inseparabilitas semper inest ut necessitas: aut ergo bonum Sacramenti non est bonum, aut necessario inest» (*In IV Sent.*, D. 31, art. 1, q. 3 in corp.). Unde sequitur: «qui consentit in matrimonium in omne tempus se obligat», «quia, repetit S. Bonaventura, de esse matrimonii est indissolubilitas»; et: «quia matrimonium est vinculum insolubile» (*In IV Sent.* D. 28, art. unic., q. 2; D. 32, art. 2, q. 1). Quod concinne, sed non minus clare, expresserat S. Augustinus, aiens: «In sacra-

mento attenditur ut coniugium non separetur, et dimisus aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur» (*De Gen. ad litt.* IX, c. 7, n. 12: PL. 34, 397). Et: «Sacramentum, quia nullum divertit» (*De nupt. et conc.* I, c. 11, n. 13: PL. 44, 421); «Sicut enim manente in se Sacramento regenerationis, excommunicatur cuiusquam reus criminis, nec illo Sacramento caret, etiam si numquam reconcilietur Deo: ita manente in se vinculo foederis coniugalnis, uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiam si numquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir eius» (*De coniug. adult.* II, c. 5, n. 4: PL. 40, 473); «Ita manet inter viventes quoddam coniugale vinculum, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre» (*De nupt. et conc.* I, c. 10, n. 11: PL. 44, 420).

Nequeunt igitur nubentes validum inire coniugium quod non sit vinculum indissolubile. Qui hanc essentiali propriae coniugii qualitatem positivo voluntatis actu excludit eo ipso matrimonium respuit (can. 1086 § 2; can. 1013 § 2). Hoc una cum doctrina, tum veteris tum recentioris temporis, semper docuit nostra iurisprudentia. Quoties haec nullum declaravit matrimonium ob exclusum bonum sacramenti, unum essentialiter asserere voluit: coniugium fuisse contractum absque vera voluntate seu sine consensu in matrimonii indissolubilitatem. Non videntur ideo recte interpretari N. S. O. iurisprudentiam ii qui, potius ad secundarias animadversiones aut explications attentes, contradictoriam aut aequivocam esse dicunt hac in re S. R. Rotae iurisprudentiam. Id quod haec constanter docuit et docet semper idem fuit, scilicet: «sufficit ut probetur saltem unum ex contrahentibus positive inire voluisse matrimonium solubile» (*In una coram Wynen*, d. 22 ianuarii 1944. Cfr. *Una coram Pecorari*, d. 28 martii 1945; *coram Fidecicchi*, d. 26 martii 1946; *coram Brennam*, d. 31 martii 1947; *coram Pinna*, d. 21 decembris 1957; etc.). In his omnibus compertum habetur: ubi de bono sacramenti agitur, distinguendum non esse inter obligationem et adimplementum eius, sicuti distinguuntur ubi de bono fidei et prolis agitur; item essentiali distinctionem non admittunt inter perpetuam exclusionem omnis communionis vitae et exclusionem perpetuitatis vinculi, cum prior intime coniungatur cum altera et in casu coniuges nequeant sibi invicem potestatem in perpetuum tradere simul excludentes omnem vitae communionem, vel hanc tantum per aliquod tempus intendentes. Ideo si quis cum intentione contrahat a matrimonio per divertitum divertendi et novum deinde ineundi matrimonium, utique civile, hic perpetuitatem vinculi dicendus est respuere, praesertim si agatur de catholicis, vivente inter catholicos, qui doctrinam et praecepta Ec-

clesiae neglegit. Non enim hic vult tantum dirumpere vitae consortium seu communis vitae consuetudinem integro vinculo, sed ipsum vinculum dissolvere, quantum ex ipso est. Quodsi consortium vitae dirumpere velit in perpetuum, item invalide contrahit, quia idem est perpetuitatem vinculi nolle ac communionem omnium vitae respire vel tantum ad tempus velle. Quod iam S. Bonaventura explicaverat, quaestionem sibi proponens: «utrum consensus ad tempus faciat matrimonium, ut cum dicitur: accipio te in meam usque ad decem annos... Respondeo dicendum quod ad hoc, quod sit matrimonium, necesse est, consensum esse et exprimi simpliciter; unde dici debet: accipio te in meam; quodsi alio modo consentiat, non est consensus matrimonialis sive coniugalis, sed adulterinus... Ratio autem, quare oportet simpliciter consentire, et quod nihil valet consensus ad tempus, est quia consensus non facit matrimonium nisi eatenus, quatenus presupponit divinam institutionem... Dominus constituit coniunctionem talem ad perpetuitatem; et huic etiam competit dictamen iuris naturalis. Et ideo, si consensus consonat institutioni necesse est, quod sit ad omne tempus. Item, hoc videtur ratione: quia de esse matrimonii est indissolubilitas, ergo qui consentit in matrimonium ad omne tempus se obligat: ergo si exprimit, quod non obligatur nisi ad tempus, nullo modo est matrimonium» (**In IV Sent.**, D. 28, art. unic., q. 2, in corp.). Iuvat haec principia hodie recolere, cum non desint, proh dolor!, etiam inter catholicos, qui autumant indissolubilitatem matrimonii seu vinculi perpetuatem non esse de essentia coniugii eamque non tamquam normam a Deo statutam et a iuris naturalis dictamine suggestam habent, sed eam tenent tantum ut aliquid incertum subiectivumque elementum quod vim suam retinet et obligationem gignit solummodo usquedum coniux in se ipso velit et valeat vivere suum coniugium. Contra has falsas et pernicioseas opiniones, quae matrimonium ad aliquod tantum experimentum individuale reducunt, necesse est cum Concilio Oecumenico Vaticano Secundo clare iterumque affirmare traditionalem Ecclesiae doctrinam, iuxta quam: «Intima communitas vitae et amoris coniugalnis, a Creatore condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur. Ita actu humano, quo coniuges sese multo tradunt atque accipiunt, institutum ordinatione divina firmum oritur etiam coram societate; hoc vinculum sacrum intuitu boni tum coniugum et prolis tum societatis, non ex humano arbitrio pendet. Ipse vero Deus est auctor matrimonii, variis bonis atque finibus praediti» (**Gaudium et spes**, n. 48; Cfr. S. Augustinus, **De bono coniug.**: PL. 40, 375-376, 394; S. Thomas, **Summ. Theol.**, Suppl., q. 49, art. 3 ad 1;

**Decretum pro Armenis:** Denz. 702 (1327); Pius XI, Litt. Encycl. **Casti connubii**: A.A.S. 22 (1930), pp. 543-555).

### IN FACTO

7) Incipientes ab examine instantiae a clmo viri actoris Patrono exhibitae ad restitutionem in integrum obtainendam, Patres hanc respuendam esse decreverunt vi canonis 1905 § 1. luxta praescriptum huius canonis restitutio in integrum est remedium extraordinarium, cum non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis adversus sententiam. Verum est plura iuris praescripta neglecta fuisse a iudice inferiori, uti contendit pars actrix, quae igitur iure meritoque tribunal superius, in casu Nostrum, adiit ut concederetur in integrum restitutio (cfr. can. 1906). Constat etiam manifiesto de evidenti iniustitia rei iudicatae, cum plura praescripta legis —ut infra statim dicemus— neglecta fuerint (cfr. canonem 1905 § 1, § 2, n. 4). At restitutio non conceditur, quia in casu adversus sententiam quam actor impugnat datur aliud remedium, quod sequi debet vi canonis 1905 § 1, remedium nempe ordinarium, quod excludit restitutionem in integrum, utpote extraordinarium remedium. Ceterum, actor primo querelam nullitatis sententiae propositus; et circa hanc dubium concordatum fuit; ad hoc igitur referendum est iudicium.

### QUAD PRIMUM DUBIUM

8) Circa querelam nullitatis sententiae, die 3 decembris 1964 a Tribunali Nanceiensi datae, haec in facto animadvertenda esse censem Patres.

a) Legitime Patronus actoris querelam nullitatis dictae sententiae propositus (cfr. art. 46 Instr. S. C. de disciplina Sacramentorum, **Provida Mater**, diei 15 augusti 1936, in V. Fagiolo, **Codex Matrimonialis**, Viterbi 1961, p. 177) et quidem intra tempus utile; eam enim propositus una cum appellatione. Promotor iustitiae autem haud rite neque suo tempore intervenierat processui secundae instantiae. At nullibi habetur quod querela nullitatis reservatur Promotori iustitiae; et praxis N.S.O. est patronos coniugis inhabilis pacifice suum munus quoad hoc peragere posse. Ceterum inhabilitas est quid odiosum ideoque aequum haud est eam extendi ad casus quoque a lege non praevisos (cfr. S.S.R. in una coram Wynen, diei 30 ianuarii 1936, Dec., vol. XXVIII, p. 77, nn. 9-10). Est insuper inhabilitas ad accusandum poena aliqua quae liberum iurium exercitium coarctat, strictae igitur subest interpretationi (can. 19) ideoque

minime secumfert inhabilitatem ad reliquos actus processuales ponendos. Inabilitas coniugis, qui fuit causa dolosa nullitatis matrimonii, declarata quidem fuit etiam quoad appellationem (cfr. Pont. Comm. ad codicis can. authentice interpretandos, diei 3 maii 1945, in **Codex Matr.**, pág. 234). At huiusmodi declaratio non videtur excludere facultatem interponendi querelam nullitatis ex parte illius coniugis qui se gravatum putat; secus hic nimis odioso tracteretur et locum ius daret iniustitiae, praesertim, uti in casu, si promotor iustitiae negligens fuerint. Negat quidem dicta declaratio coniugi inhabili ad accusandum matrimonium ad normam can. 1971 § 1, n. 1 competere ius «recurrendi adversus sententiam in favorem matrimonii latam», at haec locutio cumulative videtur esse accipienda cum praecedenti, quae negat ius appellandi, ita ut tantum hoc ius —appellationis nempe— sit illi coniugi ablatum. Neque, contra hanc conclusionem, valet arguere ex verbis, quae habet eadem declaratio, «salvis extrajudicialibus recursibus», quasi tantum hi essent admissi; haec verba fere supervacanea esse videntur, cum evidens sit, extrajudiciales recursus nemini negari posse, eo vel magis quod cum sint vel facta extrajuridica vel saltem extranea juri processuali, lex processualis et iudex omnino ignorant. Ideo prohibitio seu inhabilitas ad accusandum restringi debet tantum ad actionem contra matrimonii validitatem directe proponendam vel ad eandem prosequendam in attero gradu iurisdictionis, seu ad appellandum adversus sententiam in favorem matrimonii latam.

Insuper, si —attenta responsione Pont. Comm. ad codicis canones authentice interpretandos, diei 4 ianuarii 1946 (cfr. **Codex Matr.**, p. 234) — sustinetur appellatio, absque interventu Promotoris iustitiae interposita, sustinetur quoque querela nullitatis intra decendum interposita una cum appellatione. Nihil igitur obiici potest contra instantiam qua proposita est querela nullitatis sententiae, a Tribunal Nanceiensi latae die 3 decembris 1964.

Rite etiam eam sustinendam esse censuit Promotor Justitiae N. S. O.; non solum quia jam querelam proposuerat actoris Patronus, sed etiam quia Promotor Justitiae Tribunalis Nanceiensis illegitime recusaverat eam proponere. Hic enim interposuit quidem appellationem, sed non movit querelam nullitatis contra sententiam quam appellabat, nonobstante neglectu multorum iuris praecceptorum, quem sciebat.

b) Tribunal Nanceiense neglexit enim plura iuris praeccepta. Non citavit partes; non iussit interventum Promotoris iustitiae; omisit citationem Defensoris vinculi; omisit dubi concordationem. Ne dicatur hos defectus esse minoris momenti; iustitia enim et ve-

ritas melius, imo aliquando tantum per iuris praecepta detegentur. Sed certo saltem partium citationes sunt graves defectus, quas ius iubet sub poena nullitatis sententiae.

Et nihil in casu efficit quod conventa contumax fuit in prima instantia. In secunda aderat semper obligatio citationis, etsi praevidebatur contumacia: agebatur enim de novo iudicio.

Neque ex eo quod Procurator et Patronus actoris exhibuerit Tribunalis restrictum responsonis ad animadversiones Defensoris Vinculi concludere fas est huiusmodi actum suppleuisse omissan citationem, cum suppletio habeatur tantum si de facto partes coram iudice se sistant (cfr. can. 1711 § 2).

Neque dici potest citationi mulieris conventae proximum satis fuisse per litteras citationis eidem missas ad locum ubi eadem non amplius commorabatur. In casu enim mulier citatoriam schedulam non recepit; quod Tribunal scivit; ideoque conventa debuisset citari saltem per citationem edictalem (cfr. can. 1720).

Utique defectus citationis actoris purgatus fuit, cum hic de facto, etsi non citatus, adfuerit in iudicio. At semper remanet defectus citationis conventae, qui, attento canone 1894, sententiam latam a Tribunal Nanceensi die 3 decembris 1964 nullam reddit.

Attento, insuper, quod uti ex actis constat (cfr. Summ., pág. 67, n. 44) Patronus et Procurator actoris una cum appellatione contra sententiam Tribunalis Nanceiensis querelam nullitatis apud N. S. T. interposuit intra terminos a lege statutos (can. 1895); ideoque nullo modo nullitas dictae sententiae sanata fuit propter tempus inutiliter transactum; sequitur constare de nullitate sententiae secundae instantiae a Tribunal Nanceensi die 3 decembris 1964 latae.

#### QUOAD ALTERUM DUBIUM

9) Circa meritum causee imprimis non est obliuiscendum quod sententia primi gradus iurisdictionis, nullitatem matrimonii declarans, dicitur a sententia secundi gradus, ei aduersa, «il ne manque pas d'arguments en faveur de cette nullité». Et intra argumenta quae favorabilia aestimantur ab altera sententia haud immerito hoc recensentur: «Il semble hors de doute que Pierre ait envisagé comme une chose normale et naturelle la possibilité de recourir au divorce civil, et qu'il en ait parlé bien des fois: avant son mariage, à diverses personnes, puis le jour du mariage à sa mère, et, après le mariage, à son épouse». Unde non est necessarium ut immoremur in citandis declarationibus a viro actore in iudicio

factis, quibus ipse nos edocet suam intentionem petitendi divortium, ante nuptias elicitas et pluries pluribusque manifestatam. Nedum enim is in praesentiarum coram iudice testatur sibi proposuisse divortium, si matrimonium cum Magdalena male cedisset, sed constat ex actis cause eundem hanc pravam voluntatem fuisse alisque petefecisse.

10) Certa est igitur confessio tum iudicialis cum extrajudicialis actoris. Quoad primam: «le mariage est nul —legitur in viri denuntiantis instantia diei 15 decembris 1959— parce que je me suis marié en réservant formellement la faculté de recourir au divorce». Quod repetitum in altera eius instantia, diei 11 maii 1960 et in iudicali depositione diei 17 iunii 1960, ubi etiam causam et circumstantiae simulationis sui consensus ipse explicat. Sententia secundi iurisdictionis gradus hanc voluntatem viri actoris dicit non esse contra perpetuitatem matrimonii sed tantum contra consuetudinem vitae: istam non illam virum excluere intendisse. Sed, uti iam innuimus, ius, doctrinam et iurisprudentiam explicantes, illa intentio, quam vir habuit qua-cumque matrimonium init, sibi reservandi facultatem divortium obtinendi novasque nuptias, utique civiliter tantum, celebrandi, conciliari nequirit voluntati contrahendi matrimonium indissolubile. Quod clarius patet si quae fassus est actor examinentur atque pensentur una cum iis quae testes referunt et cum factis vitae praematririmonialis atque coniugalnis.

11) Testes imprimis patefaciunt confessionem extraiudicalem viri. Sufficit hec recolere quae referunt mater et pater actoris, Elisa, Marcella, Martha.

Hi teste referunt quae actor dixerat ante nuptias, tempore omnino insuspecto. Post nuptias, at tempore adhuc non suspecto, habentur testes Claudius et Magdalena. Praesertim mater et pater actoris, Elisa et Marcella, qui fide digni sunt et de re in controversiam deducta bene edocti, corroborant depositio nem actoris, plene confirmantes eius asseverationes. Difficultatem non facit declaratio patris actoris, dicentis se haud bene memorare peculiaria adjuncta in quibus filius intentionem divertendi per divortium manifestavit, cum inambiguo ipse confirmat se filium audivisse dicentem: «qu'on n'était plus au temps où l'on sacrifiait une vie, si l'on ne s'entendait plus en ménage».

Testis Claudius, viri actoris ab infantia amicus, verba valde momentosa refert sibi ab actore dicta: «très peu de temps après son mariage», nempe quod: «ce mariage était un essai et qu'il verrait bien comment ça tournerait». Quod mater actoris scivit, iam ante nuptias, sicque in iudicio refert: «Durant leur fréquentation, je m'aperçus que leurs caractères n'étaient

pas toujours en harmonie; il y avait, entre eux, de fréquentes disputes, ce qui m'amena à leur faire part de mes craintes au sujet de l'avenir du future ménage. Mon fils me répondit: —Je pense que tout ira bien et je ferai l'impossible pour cela. Et il ajouta: —Si ça ne va pas, le divorce n'est pas fait pour les chiens». Quae plene confirmat testis Magdalena dicens se haec omnia scivisse ab ipsa actoris matre. Nec praetermittendum est testimonium Rev. Marii «cousin germain du père de Pierre» qui actorem plene fide dignum dicit eiusque levitatem animi quoad religionem denuntiat et censet «qu'au moment du mariage, les époux n'ont eu nullement l'intention de contracter un mariage vraiment chrétien».

Neque deest omnis declaratio partis conventae.

Haec mirata est cur vir declarationem matrimonii nullius expostulaverit, sed asseverationes eiusdem viri minime impugnaverit; nam, etsi coram Tribunal non comparuit, haec scripto tantum significavit: «Je ne vois pas comment Pierre peut demander la nullité de ce mariage, pour cause de défaut de consentement étant donné que nous étions majeurs tous les deux, et avions contracté librement cette union».

Ex his omnibus patet igitur adesse in casu etiam claram confessionem extraiudicalem viri actoris, confessionem nempe ante nuptias prolatam et a testibus in iudicio relatam. Utique testis Elisa post verba, ab actore prolati contra matrimonii indissolubilitatem et ab eadem in iudicio relata, addit: «Je croyais que c'était une parole en l'air; sed, praeterquam quod istis verbis testis non factum refert sed suam opinionem dumtaxat pandit, obliviscendum haud est ipsam postea animadvertisse: «Je vois maintenant qu'il disait la vérité ca il m'avait fait la même réflexion plusieurs fois».

12) Intentionem, indubie manifestatam ab actore, a matrimonio per divortium divertendi, veram fuisse atque certam, constat etiam ex causa simultonis sive remota sive proxima.

Causam simulationis remotan constituerunt duorum iuvenum mutua naturarum discrepancia, mutua iurgia ac discidia aliqua aversio actoris erga puellam tamquam uxorem ducendam habendamque, timor eiusdem actoris de infasto exitu matrimonii. Quibus addenda sunt quaedam certa facta haud minoris ponderis; nempe: nulla educatio religiosa actoris; conceptio divorzistica, quae non erat tantum actoris imo totius eiusdem familliae. De his factis depositiones prostant nonadmodum actoris, sed etiam quorundam testium, praesertim Rev. Marii (cfr. Summ., págg. 8, 9, 25, 27, 28, 30, 44).

13) Huiusmodi facta atque indoles, ingenium et edu-

catio actoris, ita in eiusdem mentem influxum exercuerunt, ut non tantum errorem aut opinionem falsam quoad matrimonii indissolubilitatem in viro gignerent sed voluntatem efficent huic essentiali proprietati adversam. «C'est bien entendu, tes promesses sont sincères —refert actor se dixisse sponsae—; on est encore à temps; si ça ne marche pas, je te répète ce que je t'ai déjà dit: «le divorce n'est pas fait pour les chiens». Je lui ai répété la même chose en allant chez M. le Curé pour l'interrogatoire prématrimonial».

Adde quod mulier institit ut nuptiae celebrarentur, etsi vir invitus. Hic, enim, ob iurgia atque discidia ipsum inter et sponsam exorta, quae causa quoque fuerunt sponsalium interruptionis, nolebat ad aras accedere. Ipse utique mulierem amabat sed tantum propter eiusdem mulieris pulchritudinem; amorem ipse fovebat sexualem, haud coniugalem; sciebat enim bonum esse se matrimonio non copulari cum conventa. Instantiae precesque mulieris vicerunt quidem viri contrarietatem sed non plene eiusdem voluntatem, quia quod vir voluit, ad experimentum solummodo voluit.

14) Circumstantiae, quae comitatae sunt nuptiarum celebrationem et postea vitam coniugum, corroborant depositiones circa simulationem. Praesertim vero illae quae attinent ad vitam coniugalem partium; quae reapse prole non fuit recreata quia actor semper contrarius exstitit, quaeque infelicissima evasit atque brevi ad finem pervenit per divortium. Hoc, utique, a conventa petitum fuit, at nonnisi «pour des raisons de procédure juridique», revera, pergit actor, «moralement c'est moi qui l'a demandé».

15) Quae difficultates adsuit difficilioris non sunt solutionis et bene solvuntur per ea quae retulimus. Dolendum vero est in casu deesse testimonium mulieris conventae, quae in prima instantia contumax de-

clarata est ac in praesenti instantia citari debuit per dictalem formulam. Tamen, cum in casu agatur de simulatione ab altera parte peracta, minime vero mulieris, istius contumacia non insolubilem gignit difficultatem. Ceterum, uti iam innuimus, si attente epistula conventae legitur (cfr. Summ., pág. 5, n. 8), nihil in ea invenitur quod contra asseverationem actoris pugnet; imo cum ab Officiali Bisuntino de capite nullitatis edocta fuisset, mulier ne verbum quidem ei respondit nihilque obiicit.

16) Quibus omnibus tum in iure tum in facto sedulo perpensis et consideratis, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunalis sedentes et solum Deum ante oculos habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, declaramus et definitive sententiam, propositis dubiis ita respondentes:

**Ad primum affirmative, constare nempe de nullitate sententiae secundae instantiae, latae a Tribunalis Nanceien, die 3 decembris 1964;**

**Ad secundum affirmative seu constare de nullitate matrimonii, In casu, vetito tamen viro transitu ad alias nuptias nisi prius iureiurando, coram Ordinario praestando vel eius delegato, ipse sponderit se recte celebraturum esse novas nuptias.**

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut hanc nostram definitivam sententiam executioni tradant et adversus reluctantis procedant ad normam SS. Canonum, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae pro rerum adjunctis efficaciora et opportuniora videantur.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 30 octobris 1968.

Ioannes Angelus Abbo  
Antonius Czapla  
Vincentius Fagiolo, Ponens  
Victorius Palestro, Notarius